

1

Reverende et eruditissime Domine.

Quod nomini meo theses tuas inscribere, et simul Societatem Iesu, parentem videlicet meam ornare volueris: gratias tibi maximas habeo, relatus aliquando, si ulla sese offerat occasio. Quod 5 autem praesidio meo in ista literaria concertatione iuvari te posse existimes, id totum modestiae tuae tribuo. Ea siquidem in thesibus tuis firmitas, idque in te lumen ingenii cernitur, ut nulla externa ope indigeas, praesertim cum Feuardentio, viro clarissimo et magistro doctissimo, duce utaris. Perge igitur, ut coepisti, et 10 ad verum sapientiae decus, cum Ecclesiae catholicae utilitate, atque aeterna tua salute coniunctum, enitere. Et si me tam longe positum, et nihil eiusmodi expectantem sponte tua tam egregio munere donare voluisti, multo nunc magis rogatus à me senectutem meam sub onere gravissimo laborantem apud Deum precibus tuis iuva.

15 Vale. Capuae die 14 decembris 1603.

[F. B. 5, f.81. Minute autogr. ; F. B. 9, f.43^v; copie.]